Watkowic Alberti: Oratio natalitia d. Nic. Konicipolski consecrata.

ORATIO NATALITIA.

Perillustri & Adm: Rndo Dno,

D. NICOLAO

A KONIECPOLE

KONIECPOLSKI,

Canonico Gnesnensi, Præclauien: &c. &c. Præposito, Domino Colendissimo.

In auspicatissimas Natalis diei ferias.

ANNO Reparatæ Salutis M. DC. XLII.
Octauo Idus Decembris.

Honoris & obseruantiæ ergò

AB

ALBERTO WAŁKOWIC Vstiense,
Art: & Philosophiæ Baccalaureo
Consecrata ac DD.

CRAC: In Officina Mart: Philipowski.

IN STEMMA

Illustrissimæ KONIECPOLSCIORUM Domus.



Machina quod Danaûm fabricata in mænia Teucrûm
Viribus audaces clausit & armigeros.
Tot patriæ KONIECPOLSKI *Domus inclyta semper*
Vestra dedit claros Marte Togaq; viros.
Et pietate graues, & relligionis amantes,
Crux, solea, hoc signant, Stemmata iuncta sibi.
Præsidium patriæ his, curamq; canis leuisomni
Aptatus collo millus adesse notat.
Fælix es soleam atq; Crucem pro Stemmate gestans,
Fælix, & merito nobile Stemma geris.
Ergò quot pisces pascit sub gurgite WISLOK
Dÿ tibi tot tribuant sæcula fausta precor.

Nicolaus de Pisary Pisarski, St: Dial.

Perillustri & Adm: Reuerendo Dño,

D. NICOLAO

A KONIECPOLE

KONIECPOLSKI,

Canonico Gnesnensi, Præclauien: &c. &c. Præposito.

Domino & Mæcenati Colendissimo

S. & P.

DIu multumq; mecum animo perpendens Perillustris & Adm: Reuerende Domine, Mæcenas amplissimè, quâ ratione eam, quam Tibi pro Tuis innumeris in me collatis beneficiis, venerationem & remunerationem debebam, aliqua exterioris actionis demonstratione patefacerem, animus quoq; meus ergà Te id continuò cogitabat, & me ad regratificandum stimulabat, modus autem regratificandi deerat, defuêre meæ in Te seruitutis aperiendæ vires & occasiones. En verò nunc obtulit mihi sese de Te benè merendi occasio, Natalitiorum videlicet Tuorum dies auspicatissima, quam vt Tibi congratuler, meus in Te propensus animus, beneficiorumq; â Te acceptorum recordatio me impulit. Conscripsi itaq; hanc etsi tenui atq; ieiuno sty-

no sty-

no stylo, omni demum verborum lepore ac ornatu destitutam Orationem Natalitiam, quantum hoc mihi per otium, quod exile mihi hactenus, inter maximos ac varios occupationum mearum labores, contigit, & per alacritatem animi, quæ non admodum magna est, licere potuit, eamq; Perillustri & Admodum Reuerendæ D. Tuæ, vti Patrono & Benefactori obseruandissimo, cum humilimorum obsequiorum meorum debita & submissa commendatione consecro & dedico. Itaq; hanc qualemqualem virtutum Tuarum præstantissimarum adumbrationem, per me in lucem, minus diserto cultu prodeuntem, huncq; infirmum meæ in Te obseruantiæ conatum, hoc leuidense munusculum, serenâ fronte suscipere, ac æqui boniq; consulere, & me seruitorem Tuum humilimum vnà cum Tuis omnibus, eo quo alios soles fauore & amore velis complecti, maiorem in modum oro. Ego Deum exorabo vt Illust: & vetustissimæ. Prosapiæ Tuæ splendorem conseruare, eximiarum virtutum, quæ nidum suum in vestra Familia locâsse videntur, famam immortalitati consecrare, Tibi verò salutem & incolumitatem quàm diutissimè concedere dignetur. Vale Mæcenas dignissime, solitamque Tuam in me perenna gratiam & beneuolentiam. Datum Cracouiæ, Pridie Kal: Decembr. Anno Christi M. DC. XLII.

Perillustr: & Adm: Reuerendæ D. Tuæ

Seruus addictissimus,

Albertus Wałkowic, Art: & Phil: Bacc.

ORATIO

NOn Te latet Perillustris & Admodum Reuerende D. fuisse hoc vetustioris æui hominibus in more positum, vt amplissimis muneribus (quisque pro virili & conditione sua) certarent, ac inuicem sibi congratularentur: eo præsertim die, quo annuas fælicis Natalis sui ferias recolebant. Persæ etenim inprimis, faustissima natalitia religiosè, magnâ cum solennitate, summâ cum lætitiâ & alacritate animi celebrabant. Romani quoque nullo die lautiùs conuiuabantur, nullo ludis magnificentioribus oblectabantur, nullo ampliores mutuò sibi impertiebant largitiones, quàm cùm eius diei, quo hanc suauissimam lucem aspexerunt, anniuersariam solennitatem obibant. Alij denique certis hisce diebus sacrificiis, votis, sertis, vnguentis, atque precibus suos genios colebant, annaliaque munera familiares familia-

ribus

ribus, amicis amici mutuò donabant. Quam laudatiſsimam conſuetudinem, maiores quoq; noſtri, in Eccleſiæ Catholicæ ſinu progeniti, receperunt, receptamq́ue tenuerũt; quæ ad hæc vſq́ue tempora magis magiſq́ue inualeſcens manet ac retinetur. Hunc quoq; morem in Tuis Perilluſtris & Admodum Reuerende D. ædibus, hodiernâ die conſeruari video; Enimuerò plurimos ſummo ingenio, ſummaq́ue dicendi copiâ præditos, ac generis nobilitate præſtàntes viros, gratulari Tibi ſolennem Patroni Tui feſtiuitatem conſpicio, omnes Tuos ob concordem lætitiam fauſtis acclamationibus perſonare exaudio: quocunq́ue demùm oculorum aciem reflecto, omnia plena mutuæ congratulationis, atq́ue eximiorum votorum deprehendo. Quamobrem in hac ſumma Tuorum lætitia, inter tot iucundas gratulantium Tibi auſpicatiſsima Natalitia voces. Ego quoq́ue ex mediis Academiæ ſpacijs accurro, vt hanc annuam Diui Patroni Tui NICOLAI feſtiuitatem, coram, voce, vultu, & oculis Tibi gratuler. Et

quamuis

quamuis meæ mihi tenuitatis conſcius ſum, vereorque ne propter eruditionis egeſtatem temerè ac imprudenter aliquid dicam: tamen cùm has amicorũ acclamationes hos exultantes animorum motus, ex Tuarum Heroicarum virtutum magnitudine, ex beneficentia ac liberalitate, quâ erga omnes vteris, concitatos eſſe ad gratulandum Tibi intelligam, rem etſi arduam audacter aggrediar, omnemque Orationem, in virtutum Tuarum nobiliſsimarum parcâ & verecundâ commemoratione conſumam. Quod eò facio libentiùs, cùm ea ſit rerum præclarè à Te geſtarum magnitudo, vt ei nulla vis ingenii, nulla orationis vbertas, nullus verborum lepos, nulla ſententiarum grauitas, vlla ex parte poſsit reſpondere. Ac primùm quidem de Nobiliſsimi Generis Tui vetuſtate quid aſſeram? quæ variis libris, & monimentis, antiquiſsima eſſe perhibetur; quid de eiuſdem ſplendore dicam? quod inter ornatiſsimos Polonæ gentis viros, & nominis ſui celebritate, & inclyti generis antiquitate reſplendet. De Familiæ Tuæ factis

ſtrenuis

strenuis quid in medium proferam? quæ cùm à multis & præcipuis quibusque authoribus copiosissimè explicantur, & omnium palàm in ore linguisque versantur, tum verò his temporibus in dies crescunt & augentur, omniumque oculis conspiciuntur; & iam longè lateque ad remotissimas nationes, rerum ab antiquissima KONIECPOLSCIORVM Familia gestarum gloria, splendet, floret, clarescit. Namque alii ex ijs laudis patriæque amore incensi, vitæ lucisque prodigi, fortia bella gessère, ordines duxêre, pugnas restituêre, hostium impetus retuderunt, copias profligârunt, acies perruperunt patriam metu liberârunt, á Ciuibus seruitutem & ignominiam depulerunt: Alii disciplinis liberalibus solidissimè exculti, plurimarum rerum experientiâ & cognitione clari, authoritate & prudentiâ suâ, Reipub: dignitatem auxerunt, propagârunt, illustrârunt: constantiâ & pietate religionem, Ecclesiæque libertatem defenderunt & conseruârunt. Quis enim (vt nonnullos in medium adferam) Nicolao Castellano Rospersiensi

ſienſi vitæ innocentiâ, morum grauitate, amoreque patriæ præſtantior? Quis Ioanne Iudice Lublienſi prudentiâ ac fortitudine militari clarior? quis legum iuriſque ſcientiâ illuſtrior vnquam fuit? Quis Andreâ Caſtellano Poľanecenſi rei militaris peritior? quis pietate erga Deum, Deiparamque Virginem feruentior? qui Eccleſiam Præclauienſem magno ſumptu & labore Numini Diuino conſtruxit, ſuiſque pijſsimis manibus cum nobiliſsimo aulico comitatu ſuo, cementum & lateres pro ea conſtruenda portare, non eſt aſpernatus, eamque Beatiſsimæ & Caſtiſsimæ Virgini & Matri dicauit, conſecrauit. Non commemorabo hîc Alexandrum & Stephanum non degeneres à pio Parente filios: quorum ille conſilio, animi magnitudine, omni genere liberalis doctrinæ, mirificâque morum (quâ omnium in ſe animos traxit) manſuetudine ornatus & excultus: hic ad bella gerenda natus, pro ſalute patriæ, in ſummo rerum omnium diſcrimine, conſtantiſsimè decertare, mortemque oppetere (nullo præmio propoſito) nun-

 quam

quam dubitauit. Nihil hîc de eorum pietate & deuotione erga Deiparam Virginem dicam: Extant eius rei clariſsima ad hæc vſque tem pora in Eccleſiâ Præclauienſi monimenta: Hi etenim Confraternitatem Roſarii Sacratiſsimi in Eccleſiam prædictam introduxerunt, erexerunt, fundârunt, dotârunt, cenſibus & penſionibus ornârunt, auxerũt, & locupletârũt: quã Confraternitatẽ Magnif: Martiana de Zurow piæ memoriæ Illuſtr: & Magn: D. Stephani Koniecpolski, olim Coniux cariſsima, Matrona honeſtiſsima, omnibus præclaris animi dotibus, omni virtutis genere ac dignitate vitæ præſtans, pietate & deuotione erga Genitricem Dei feruentiſsima, in dies magis ac magis cum laude, dignitate; & admiratione omnium auget, cultum & deuotionem erga Beatiſsimam promouet & adornat. Nihil dico de Generoſo átque vitæ ſanctimoniâ conſpicuo parente Tuo, cuius prudentia, pietas, liberalitas, amor patriæ Ciuiumque, & cæteræ nobiliſsimæ ac genuinæ eius virtutes, á multis paſsim ſummâ cum admiratione prædicantur,

laudan-

laudantur, eius liberalitas atque munificentia commemorantur. Prætereo Remigium Episcopum CHEŁMENSEM, perpetuum Abbatiæ Andreouien: Administratorem (qui nõ ita pridem Deo sic disponente mortalitatis deposuit exuuias) omnigenâ eruditione, vitæque sanctimoniâ Clarissimum Præsulem, quem religiosæ vitæ cultores Ordinis Cistercien. Parentem benignissimum deprædicant, cui secundum Deum plurima se debere confitentur, vt potè, qui superstes, semper eorum commoda, ornamenta, incolumitatem, sanctimoniam quærebat, & propagare studebat. Taceo eius summos in consecrandis Præsbyteris, in nouis Tyronibus militiæ sacræ adstringendis, & in vineam Domini nouis operariis congregandis labores atq; molestias nõ cõmemoro. De Stanislao autẽ Castellano Cracouien: Supremum Exercituum Polonorum Ducẽ, fæliciter magna cum sui nominis laude peragente quid loquar? qui iure merito ornamentum Polonæ gentis, columen Senatus, propugnaculum Regiæ dignitatis, fortissi-

mumLegum & libertatis publicæ præsidium di ci ac nominari potest. Quem enim obsecro e- ius bellicæ virtutes latent? quem eius præclarè & fortiter gesta fugiunt? quis eius in Rempub. merita ignorat? Expertus est vires eius vecors & fædifragus Moschus, sensit easdem toties fu- gitiuus Scythes, eius animi magnitudinem co- gnouit trux Spartacus, Sueci, aliæque longin- quissimæ nationes: notum clarumque nomen e- ius exteris, omnes singulis diebus egregia rerum ab eo gestarum decora admirantur, ac fulcrum columnamque Reipub: Polonæ appellare & prædicare non dubitant. Non commemoro hic splendidissima Familiæ vestræ inclytæ orna- menta, & maxima (vt iã in proximo spes est) pa- triæ præsidia, magnæ spei & expectationis Ge- nerosos ac magnanimos Alexandrum Castellani Cracouien: & Andream Alexandrum & Sta- nislaum Stephani Koniecpolski filios: in ore e- nim omnium quotidiè versantur, eorum indu- stria, dexteritas, tolerantia, laboris, cæteraque fortitudinis specimina & indicia, quæ abundè

decla-

declarauerunt apud exteras gentes, sese (quo cō-
modiùs & vtiliùs Patriæ seruire posint) in arte
quâ literaria, quâ militari exercentes. Neque
vllam mentionem aliorum fortißimorum è ve-
stra stirpe oriundorum virorum faciam, eorum
res gestas, cæterasque admirandas ac propè Di-
uinas virtutes, satiùs (propter exilem doctrinam
& rude meum ingenium) præterire iudico, quàm
vt periculum subeam, ne pro earum excellentiâ
ac magnitudine, tantam rem obscurare magis,
quám ei lucis aliquid videar adiecisse; ad ea iam
quæ Tuis Perillustris & Adm: Reuer: D. parta
& propagata sunt virtutibus venio: Quorum
quodcunque si exorsus fuero, non tam suis laudi-
bus exornare, quàm enarrare, citiùs Orationem
meam verborum copiâ, quàm rerum amplitudi-
ne destitui posse confido. Nicolai Sancti nomi-
ne gaudes Perillustris & Adm: R. D. Nicolaum
Sanctum Patronum Tibi elegisti, eius vitam imi
taris Sanctißimam, eius incorruptos sectaris mo-
res, firmiter eius Sanctis adhæres vestigiis. E-
nimuerrò cùm hoc nomen populi designet victo
rem

rem, Tu victorem Te eumq́uè gloriosissimum, iam non populi, sed (quod maius est) illecebrarum mundi huius præbes, ac per totum vitæ curriculum præbebas. Posteaquàm enim Nobilitatis Tuæ decus tanquam facem per manus à maioribus traditam recepisti, confestim acerrimum bellum in illa ætate nondum consilio & ratione firmata, cum ijs blãdimentis gessisti, quibus ætas adolescentiæ maximè capi ac deliniri solet. Atq́ue vt fælicissimo ad Poësin ingenio Ouidius monumentis literarum suarum seræ posteritati tradidit, Herculem nuper in lucem editum, ac in cunis vitam degentẽ, duos ferocissimos angues, qui ei ab irata Iunone erant immissi, cum ad se suffocandum magno cum impetu voluerentur, exertis è cunis ambabus manibus apprehensos constrinxisse ac collisisse, ab ictuq́ue & morsu eorundem se illæsum seruâsse: ita Tu incertam ac lubricam adolescentiæ ætatem ingressus, nouum Herculẽ Te monstrâsti; cùm luxuriàm & intemperantiam comprimebas, blandimenta & lenocinia voluptatum remouebas, ipsaq́ue teterrima

flagitio-

flagitiorum portenta, tanquam certiſsimas optimarum mentium pernicies, ac peſtes exitiales iugulabas. Vbi verò præſtantiſsimi ac doctiſsimi Magiſtri, Senecæ inquam Romanorum ſapientiſsimi, aureæ illæ ſententiæ, ianuam aurium Tuarum attigerũt, quod videlicet Generoſos animos labor nutriat, eum verò qui hunc recuſet parum poſſe: Quodq́ue otium ſine literis mors ſit, hominiſq́ue viui ſepultura, ſtatim depoſitâ ex animo rerum cæterarum curâ, ad ſalutaria optimarum artium præcepta aures & animum conuertiſti, primaq́ue Tyrocinia Iaroslauiæ, poſt Lublini in Collegijs Patrum Societatis IESV depoſuiſti, tandem ad ipſam ſedem ſapientiæ, nutricem virtutum optimarum, ac omnis liberalis doctrinæ Magiſtram, Academiam ſcilicet Cracouienſem, continuandorum ſtudiorum gratiâ Te contuliſti, ibiq́ue in Collegio Maiori, inter viros doctrinâ & eruditione clariſsimos, Diuinarum humanarumq́ue rerum ſcientiâ excellentiſsimos, vitæ morumq; probitate necnon pietate præſtantiſsimos, in loco manſuetioribus Camœnis apto,

nis apto, ad vbera Academiæ parentis nostræ, mãsionem ac hospitium Tibi elegisti, Præceptoribusque cùm de omibus disciplinis quàm optimè meritis, tum vitæ sanctitate morumque integritate conspicuis, Admodum Reuer: Patribus Adamo Opatouio & Alberto Borouio, Academiæ Cracouien: tunc in Philosophia Professoribus, nunc vero S. Th: Doctoribus dignissimis vsus es. Nihil hîc de reuerentia Præceptorum nihil de ingenio & præclara indole dicam, quæ quasi ver fauentibus Zephyris, placidum reliquæ vitæ prouentum, denunciauit. Prætereo benê moratam iuuentutem Tuam, honestè & laudabiliter in nobilissimarum scientiarũ studiis trãsactam. Non commemoro Tuam apud exteros, in illo præsertim toto orbe celeberrimo disciplinarum Gymnasio Romæ videlicet commorationem. Apparebant & apparent Clarissimorum ac Doctissimorum Præceptorum Tuorum vestigia, manet ad hæc vsque ad tempora fixa mentiea quam à pijssimis præceptoribus didicisti ac hausisti modestia, pietas, humilitas, deuotio, be-

tio, benignitas, comitas, patientia, humanitas, aliæque innumerabiles virtutes; relucet in Te doctrina, eruditio, morum grauitas & institutio, quam ex vberibus Academiæ vetustissimæ altricis & alumnæ Magnatũ suxisti, hausisti. Cumque nullam esse scientiam, si vtilitatem pietatis non haberet, cognouisti, ac eam pietatem quæ discretione scientiæ caruerit, valdè esse inutilem ex sententia sapientûm virorum intellexisti, Tu vtrumque pulcherrimo vinculo societatis coniunxisti, & in vtroque excellere gloriosum duxisti. Pietatem quæ omnium virtutum fons & origo, Canon & regula esse dicitur, summâ curâ, summoque studio coluisti, ab eaque ne latum vnguem discedendum vnquam existimasti. Quæ pietas Tecum ab ineunte ætate creuit, adoleuit, maturuit, Te semper comitata est, omniumque actionum Tuarum dux, Magistra & Moderatrix fuit præstantissima. Relucet in Te cum pietate probitas, morumque integritas ac pulcherrima norma: non illa quæ ad speciem fucata, quæ in fumum vaporemque abit, quæ sine præ-

clarorum operum succo est: sed illa vera & genuina, quæ pietatem facto magis quàm formâ, seriò quàm ad opinionem aliorum amat. Longè Tu distas ab illis, quos ambitio varijs stimulis exagitat quorum mentes cupiditas honorum oppressit. Non Tibi diuitiæ, non cultus, non corpus, illecebræque huius mundi curæ sunt: probè nosti præclarum & augustum vultum Cræsi, vim & robur Herculis, opes atque diuitias Midæ subito delabi; ingenij & mentis facinora æterna esse non ignoras. Rectè sanè id existimas, virtute etenim nihil est illustriùs, nihil laudabiliùs, nihil ad humanam fælicitatem consequendam certiùs; Hac nulla possesio nec certior, nec honestior, nec durabilior est; Hæc nec eripi nec surripi potest vnquam, neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporis permutatione mutatur: omnib9 præeminet bonis omnia quæ cum laude & immortalitate coniuncta sunt continet, his cuncta famulantur, ancillantur: Sapienter ad hoc asylum confugisti; cum reliqua quæ mundus illustria ac magnifica

censet

censet pereant omnia; virtus sola etiam post fata manet immobilis: nihilque aliud in humanis rebus magis firmum, nihil magis stabile, nihil magis diuturnum hac vnica relinquitur. Hanc virtutum præstantiam, dignitatem, vtilitatem ac præeminentiam, cùm Tu diligentioris genij & ingenij trutinâ examinares, cùm inconstantiam cæterarum rerum ob oculos Tibi proponeres, maximo animo pro fluxis & caducis cælestia ac æterna, pro momentaneis vmbris, sempiternam illam Tibi expetendam proposuisti lætitiam; Teque iam tunc à corpore quasi abstrahendo, à commercio sæculi secernendo, vitã mentibus beatissimis persimilem es amplexus, Nomẽque Tuũ Clarissimum in durissimam Christi militiã dedisti. Decreuisti ea bona deserere, quæ hæredem æterni supplicij laqueis illaqueare consueuerunt; sed quantumcunque huius vsuræ lucis restabat, totum in Christi Redemptoris nostri ministerio, illiusque religionis (quam cum materno lacte imbibisti) propagatione conficere statuisti. Cumque propter Tuas laudabiles vir-

tutes omni honorum fastigio dignus eras, Tu qui illa quæ sunt mundi huius contemnere ac despicere soles, omnia speciosa abdicasti. Præpositum Te Præclauiensem inprimis fieri æquo animo tulisti. Mirabile & iucundum erat Illustri Tuæ Prosapiæ, cæterisque omnibus, NICOLAVM KONIECPOLSKI, posthabito mundi huius splendore & pompâ, militiæ Christi nomen dedisse, in oratione sacerdotum ministrare, religiosè rem Diuinam facere, cum pijsque & religiosis viris asiduè conuersari. Taceo quanta hoc tempore inter omnes gaudia, quantæ gratulationes vigebant, quàm fausta de Tuæ vlterioris vitæ cursu omina frequentabantur. Gaudebat tunc & exultabat Præclauiensis Ecclesia, tantum adepta Patronum, qui pietatis & eruditione celebritate ornatus, morum & vitæ integritate conspicuus, omni demum genere virtutum cumulatus esset, Pastorisque boni formam ac imaginem vitâ & moribus exprimeret. Exultabant gaudio oues illæ cœlesti precio redemptæ, Tuæ verò fidei atque curæ commis-

commissæ, Tui inquam (vt vulgari vtar vocabulo) Parochiani, quod Te pietatis, cultus Diuini, salutis animarum, Diuinæque sapientiæ Pastorem sint sortiti: totiusq; vniuersi Moderatorem, à quo omnis vitæ nostræ ratio dependet, pro Tuæ incolumitatis & virtutum incremento supplices ad hæc vsque tempora precantur. Age verò dum in numerum & cætum Canonicorum Gnesnensium paulò post relatus esses, quãtâ cum lætitiâ atque alacritate animi, ab illa Sapientissima, Clarissima ac Illustrissima Venerabilis Capituli Canonicorum Gnesnensium Vniuersitate sis receptus, quàm honorificè humaniterque tractatus, quis Oratione complecti potest? Gaudebant vehementer Patres illi Perillustres, Te Genere Illustrem, summisque ornamentis animi, virtutis, ac ingenij præditum virum Canonicum ac Consortem fieri; gaudebant inquam, faustisq; acclamationibus eam dignitatem cuncti Tibi congratulabantur. Admirabantur omnes Tuam eximiam pietatem, humilitatem, honestissimæ vitæ integritatem, humanarum rerum despicienti-

cientiam, Diuinarumque studium. Manifesta quotidiè in pauperes, in peregrinos, cæterosque inopiâ laborantes, munificentiæ Tuæ signa & argumenta contulisti quam plurima: Quanta semper fuerit mendicorum copia in ædibus Tuis satiata, explicatu difficile. Neque solùm illis temporibus, sed etiam nunc admirantur omnes Tuam munificentiam & magnanimitatem, animi moderationem, inuictumque illud constantiæ robur de minime appetendis (qui Te etiam vltrò consequebantur) honoribus satis admirari non possunt. Quemadmodum enim Cratem Thebanum olim, vt meliùs studio Philosophiæ incumbere, & admirabilium occultarumq; rerum causas indagare posit, non paruum auri & argēti cumulum in flumen, monumenta literarum iecisse testantur: ita Tu omnia honorum fastigia, omnes dignitates, præeminentias, omnia demum mundana despicis & contemnis, vt commodè vitam tranquillam ac beatam ducere, Salutisq; nostræ Insturatori Christo, vt par est seruire, ac eius Diuinis officiis vacare posis. Silentio præ-

tereo

tereo Tuam erga tenues atque infaustæ sortis homines liberalitatem, erga afflictos humanitatem & paternum affectum. Quæ omnia si prolixiùs persequi vellem, nullum planè modũ inueniret oratio. Quod enim genus officii erga religiosas familias prætermisisti? quod genus beneuolentiæ ministris Ecclesiæ non exhibuisti? cui pupillo aut aduenæ Tua arca, Tua domus clausa est? omnium dolori & calamitati illachrymas, ab omnibus periculum & ignominiã propulsas, vbique locorum odia, dissidia, rixas, simultates restinguere curas, omnibus demum opem & auxilium ferre satagis. Testes sunt tot Religiosi, testes tot Deo dicati sacerdotes, qui Tuam satis liberalem atque munificam, manum multoties sunt experti. Testes vel maximè Ciues Præclauien: qui Te Patronum, parentem & benefactorem appellant, qui Tuâ incredibili beneficentiâ quotidie subleuantur, largamque manum in dies & in horas necessitatibus suis subuenire experiuntur. Quid verò de Tuo erga artes eruditas earũque cultores singulari amore ac

re ac beneuolentia proferam? Teſtes ſunt tot
viri diſciplinarum magnitudine atque doctrinâ
& vſu rerum præſtantes: teſtes tot viri Hierar-
chico ordini adſcripti, teſtes ingenui adoleſcen-
tes, quos liberali impenſâ optimis diſciplinis im-
buendos curabas. Teſtis Palæſtra Præclauien:
ad cuius adminiſtrationem, ex Academia Crac:
tanquam ex fonte ſcientiarum vberrimo, Bacca-
laureos lauro Academicâ ornatos inuitare, iiſq́;
turbam iuuenum committere ſoles erudiendã.
Teſtes tot bonæ indolis optimæque ſpei iuue-
nes, quibus fideliſsimum & de literis bene meri-
tum Præceptorem præfici curas, eum videlicet,
qui iuuenum ingenia bonis artibus excolat, pieta-
tem doceat, moribus inſtituat, præluceat exem-
plo, vitia extirpet, ad virtutum amorem alliciat,
naturæ deprauatæ errores corrigat, literarum de-
mum inopes ac ieiunos humaniſsimis diſciplinis
reficiat. Tacebo Tuam erga me, regimen
Scholæ Præclauien: à Te demandatum geren-
tem, beneuolentiam, liberalitatem & animi pro-
penſionem; non commemorabo quâ in me be-
neficen-

neficentiâ ac humanitate vſus es, quo amore cõplexus, quo patrocinio á quorundam turbulentorum & ſeditioſorũ hominum effræni & petulanti linguâ tuebaris, quomodo cùm omnibus diligentiſsimè, tum præcipuè Perilluſtri & Adm: R. D. IOANNI Łada Skrzyński, Chełmen: Sandomirien: Canonico, Decano & Præpoſito Melecen: vigilantiſsimo, Domino & Benefactori meo colendiſsimo, dum ab eo ad regimen Gymnaſii Melecen: à Te auocabar, commendabas. Quorum ego memor, tacebo nunquã & moroſo tantam beneſicentiam non permittã inobſcurari ſilentio. Sed dum in his hæreo, quaſi hæc maxima ſint maiora non video. Quid enim enarrem Tuam in omnes (qua nihil ſanctiûs) hoſpitalitatem, virtutumq́ue omnium præſtantiſsimam, Chriſtianis omnibus maximè propriam humilitatem? ob quam omnes Te ſummè colunt, omnes in Te oculos atq́ue animum conuertunt: Patientiam demum Tuam, quæ in Te maxima eſt, quibus uerbis exornem, non reperio: ita enim omnia aduerſæ fortunæ tela, ita o-

 mnes

mnes iniurias si quæ acciderint, æquo animo tolleras, vt omnes Tuam patientiam satis admirari non possint; omnes Te in hac sequi ac imitari cupiunt. Nihil censes esse fortiùs, nihil iudicas excellentiùs, nihil quod magis animum Nobilem ac excelsum deceat, ornet ac illustret ipsâ patientiâ. Quare gaude hoc tam excellenti Tuo bono Perillustr: & Admodstm R. D. fruere hac nobilissima (quæ magnum Dei donum esse censetur) virtute, cùm ea sit eiusmodi, vt eam semper copiosissima merces maneat. Sed quæ tandem in vllo genere potest reperiri aut nominari virtus, quæ non in Te elucescat, vt ad quamcunque se quis animo & cogitatione conuertat, in ea Tu non excellere ac præstare videaris? nulla est omnino, quæ in Te non emineat, non Tuam dignitatem condecoret. Finxit Te ipsa rerum omnium parens & administra natura ad cultum Diuinum, pietatem, morum integritatem, animi magnitudinem, ad omnes deniq́ue virtutes magnum hominem & excelsum. Crediderim ego nec lapillos preciosos, nec gemmas splendẽ-

tes

tes ſic aciem oculorum perſtringere, ſic in ſui admirationẽ animos mortalium pellicere potuiſſe, quám Tuâ virtute eximiâ eoſdem allicere. Tam enim amplæ ſunt tamq́ue præſtantes Tuæ virtutes, vt omnium ſermone & fama celebrentur, in omnemq́; poſteritatis memoriam propagentur. Cum eæ ſolæ ſint eiuſmodi, quæ Te, cæteroſq́; omnes, qui æternæ felicitatis flagrant deſiderio, ad optatum finem deducere, & in locũ de patria cœleſti benè meritis parato, cum hoc tam præclaro virtutum comitatu conſtituere queant. Sed vt vnde orſa eſt in eodẽ terminetur Oratio mea, ad Natalium Tuorum diẽ anniuerſariam redeo. Tibiq́; vt par eſt gratulor & opto, vt Tu cõſtantiâ & magnanimitate S. NICOLAI Patroni Tui ornatus & munitus, cæteriſq́ue eximiis virtutibus auctus ac cumulatus, viuas diu ac feliciter, viuas lætus, cum ſempiterna laude, nominiſq́ue Tui gloria, viuas, floreas, triumphes, meq́ue ſeruitorem Tuum humilimum, cum omnibut Tuis, beneuolentiæ Fauonio foueas, liberalitate ornes, patrocinio & authoritate tuearis ac defendas. E-

go verò hanc Tuam in me humanitatem ac beneficentiã nullo tempore nõ deprædicabo; DIVVMq; NICOLAVM Patronum Tuum meis precibus & votis exorabo vt qui (mortalitatis sacco nondum deposito) tres viragines vitam cum parentibus in magnâ pauperie degentes, à turpissimo prostituendæ pudicitiæ quæstu, immunes seruauit, qui senos in vincula cõiectos, mortique sine noxa destinatos viros, á duris carceribus, à morte crudeli & ignominiosa liberauit, qui tot vario morborum genere languentes homines, Orationis suæ beneficio, pristinam valetudinem virtutemque recuperare fecit. Is Cæstestium Ciuium numero adscriptus, vitæ humanæ Instauratori ac Effectori pro Te lãguente supplicet, vt ille tanquam cælestis Medicus, maximos Tuos (quibus multis ab annis grauaris) dolores, à Te propulsare, amissas vires restituere, valetudinem confirmare, saluum & incolumem quàm diutissimè, ad decus & ornamentum Ecclesiæ, religionis, nominisque sui propagationẽ seruare, fouere ac tueri dignetur.

D I X I.